ANNIBALIS MICHILESII RAUENNATIS E CONGREGAT. BONI IESU…

Annibale Michilesi

ANNIBALIS MICHILESII RAVENNATIS

E Congregat. Boni Ieſu

CARMINVM LIB. PRIMVS.

241
713.2

BONONIÆ M.DC.XXXVI.

Typis Clementis Ferronij. Superiorum permiſſu.

PERILLVSTRI
Atq; Adm. Reuer.
D. FRANCISCO PIAZZAE
MECOENATI SVO

D. Annibal Michileſius è Cong. B. Ieſu. S.

PAucula hæc Paſtoralia cum cæteris carminibus, quæ ſucciſiuis (vt aiunt) operis aliquot ante menſibus architectabar, iã luſtrata mihi prius, poſtea verò ſepoſita contegebantur, dum id augeret conſilij Maiorum meorum authoritas, ac nutus. Nunc autem ipſorum accepto omine, doctiſſimorumq; fideli voto, ea publici iuris facere, Tibiq; præ cæteris verè Mecœnati meo nuncupare iure

optimo conſtitui demum. Vt enim Muſæ Tu noſtræ patrocinari non deſinis, ſic vindicem illa ſuum, atq; aſſertorem, quàm honorificentiſſimè valeat, conſequatur laudis eſt, ac debitæ æquitatis. Accedat hùc rutilans innocentiæ Tuæ fax, & benemeritorum vbiq; congeries. Etenim cui ſaltem aliqua ratione præcognito non abs te ceciderunt honeſtiſſima? Longius non euagor: nec verò hac ſuper re verborũ vtendum eſt periphraſi. Vnum illud omnia complectitur, atque omnium inſtar exiſtimo, cum ſcilicet ea Te præconia exornent, vt paſſim dicaris Excellẽtiſsimum Patrem tuum in omnibus referre. Probatiſſimum loquor totius Florentini Fiſci Præſidem, cui apud Magnos Hetruriæ Duces ad iſtam dignitatis laudem aditum ſua virtus aperuit, vna cum tot annos explorata penitus fide. quiq; in Principum, ac Dynaſtarum

co-

comitijs auctoritati ſuæ tantum adhibet ſalis, vt ſi illam penes vel vſu, vel eruditione primarios conſtituat, certo, ac perpetuo roboretur aſſenſu. Nam de communi veſtra domo quid attinet dicere, præterquã quod εὐγενέστερος κόδρου ex ea ad ſummum quiſq; decus vnicè fieri videatur? Proinde ſicuti vobis meum non vnquam ingenium deerit, ſic mibi (dum viuam) non defuturum ſpero, cuius rudi vel hac Muſa, meriti celebrentur honores. Interea Vale, & pro ea, qua ſoles humanitate, opellam complectere, tuere, foue.

Dat. Rauennæ prid. id. Decemb 1635.

EIDEM.

QVæ mihi prima dedit Parnaſſi munera vertex,
Hæc, Franciſce, tibi qualiacunq; dico.
Si quid iter factum laudis meret, ipſe Camœnis
Arbiter es noſtris, gloria tota tua eſt.

LECTORIBVS.

ET me ſi notos inter Latonia rupes
Libantem ſacri pocula fontis, habet.
Ergo conticeam, quamuis poſtremus Olorum?
Deſidiæuè cadant otia facta mihi?
Non iſthuc videat Phœbus, nec turba ſororum,
Quas propter capiti laurea ſerta meo.
Parcite doctiloqui Vates: vos parcite Muſæ,
Id non ingrati pectoris arrha notet.

CORNELIVS DE LANDIS

Ad Auctorem.

Suadet, vt ſuum hoc opus publicum faciat.

*R*VMPE *agedum frenos. gemmarum lumina claudi*
In tenebris, turpe eſt. notus honeſtat honor.
Prome animi dotes, cultaq́ exordia muſæ,
Nec te liuentum retrahat vllus amor.
Hæc Rauenna tua ſpectet iam femina fama.
Iam te conſcribat Vatibus illa ſuis.
Hoc patriæ debes, nobis, precibusq́ tuorum;
Quippè adeo multis proderit iſtud opus.

Τοῦ Ἰωσὴφ τοῦ φορνακίου πρὸς τὸν αὐθέντην.

Δίστιχον.

Ἀρχόμενος Φοίβου δῶρ' οὕτως εὖτε ἀνοίγῃν,
Οὔνομά σοι τίκτεις Αννιβαλ ἀθάνατον.

Idem Latinè.

Ritè, quòd incipias Phœbi ſic prodere dona,
Annibal æterni nominis Auctor ades.

VINCENTII GARRAVINII
De Auctore Δεκάστιχον.

Quâ Muſæ exultant læto certamine vocum,
Quâ doctè Phœbus pollice fila mouet,
Hæc loca facundo tenuit Michileſius ore,
Qui miris vrget conſona plectra modis.
Seu canat in ſyluis: Diuum ſeu ludat honores,
Siue dicet laudi præmia digna φίλων,
Cecropiæ dici potuit genus eſſe Mineruæ,
Tam benè verſatus carmina prima dedit.
Quem ſi ſata diu ſeruent durantia Vatem,
Iactabit nomen priſca Rauenna ſuum.

AN-

ANNIBALIS MICHILESII
Carminum Lib. I.

L Y S A,
Seu Terra Mutilianæ.
PASTORALIS PRIMA.
Gyon. Tyrſis.

ESt vlmus medio pratis increta receſſu,
Sufficiunt rami folijs nigrantibus vmbram,
Quò venit herbarum panda cum falce Reciſor,
Seu quatit imbrifero cāpeſtria turbine Cælū,
Prandia ſeu tulerit Bauce ſectoribus æſtu.
Vndique prata virent, Cælum vndique, & vndiq; tellus.
Hàc parili ſtudio dilectus vterq; Camœnis
Forte Gyon patrijs noto cum Tyrſide ab oris
Iactabant querulas flendo ſuper æthera voces.
Ambo Cuſtodes pecoris, quod Lyſa coegit,
Cum procul à viridi nondū ſordeſceret Arno
Rus patrium, natale ſibi, cunctiſq; ſuorum,

Ante

Ante alijs gradiens, quã cederet arma Colonis.
Nunc tantũ mœſti Lyſa migrante queruntur.
Numina ſilvarum Fauni, Satyriq; biformes
Pãdite. Vos Dryades Iuuenũ lamenta referte:
Nam tradunt, celeres lapſus tenuiſſe fluenta,
Atq; actas gemitu rigidis de cautibus alnos.
Pãdite: iam veſtro ſunt carmina digna boatu,
Namq; Gyon multis ſingultibus ora reſoluit,
Ora Gyon primus, minor & ſua poſtmodo
Tyrſis.

Gy. *Quo ferar infauſtus nimiũ? quæ paſcua viſã?*
Quod ſolamen erit miſero? quæ gaudia vitæ?
Culmina, Prata, Vrbes, Siluas, & Cærula
Nerei
Noctes, atq; dies lacrymis peragrabo ſubortis.
Nulla dabit preſſo tellus ſolatia cordi.
Vertere, Lyſa, tuo rediens ſuccurre Gyoni.
Sic tu Lyſa mihi poteris mulcere dolorem.
Reddite, formoſam Dryades mihi reddite Lyſã.

Tyrſis. *Eheu fatorum ſerie decuſſus iniqua*

Quò

Quò ruet abſq; grege, & culto ſine iugere Tyr-
Sortis inops? dabitur quo lōgū ſiſtere pago? (ſis
Teſqua petam rabidis vltrò deuotus Hyænis;
Sic placitum Lyſæ, patrios iam Lyſa reliquit
Lyſa agros, pecudum defecit cura ſuarum.
Nunc inuiſa mihi fletu quæcunq; remota
Arua, pecus, ſtabulū, ſpiſſiſq; mapalia culmis.
Heu ſi quid noſtri miſeret te, Lyſa redito.
Naiades hùc Nymphæ pulcrā deducite Lyſam.

Gy. *Ah didici mala iam tum pubente, Menalcam*
Sæpe ſuum docuit monitis quod ſedula Nice:
Et didici, & memini, caſu licet actus amaro.
REBVS in humanis vario fortuna rotatu
Luſitat, extollens raptim ſuper ardua Olympi,
Mox agitans imo caperata fronte baratro.
Me miſerum, patior telis præſcita malignis
Vulnera, nec minus incauti præcordia findunt.
Reddite, formoſā Dryades mihi reddite Lyſā.

Tyrſis. *Vera Gyon promis, nuper tradente Neæra*
Auribus accepi ibbulis. NIL ſorte perenne eſt.

Quiſq;

Quiſq; ſuam cuncti ſortem deducimus ortu.
Illa vices rerum alternat, properoq; meatu
Nunc ridens oculis abducta nube tuetur;
Mox tibi terga dabit volucri pernicior Euro.
Sic Paridem, quem olim geſſit Priameia Cõiux
Nouimus, in ſiluis dociles pauiſſe Iuuencos.
Nouimus obſcuri laris ad regalia ſcepera
Sorte ſua euectos Tamburlanumq; Gygenq;.
Sæpius at recidit læua diuturnior vſus;
Et mea fecerunt me longa pericula doctum.
Naiades hùc Nymphæ pulcrã deducite Lyſam.

Gyon. *Præuidi infelix caſum; ſed mente refugit,*
Gramina cum fuſim pingues armẽta per agros
Vitarent, mœſtè circum ſine more ſalicta.
Præuidi, & cecini infelix, aluearia crebro
Cũ meropes reditu turbarẽt noſtra ſub vlmis.
Sæpe etiam culto mandatũ ſemen ab horto
Non venit, quin effœtum, ſi quando veniret,
Puberibus folijs roſerunt improba Campe.
Ab fera ſors nimis, indignũ auerſata Gynem.

Red-

Reddite, formosã Dryades mihi reddite Ly ſã.
Tyrſis. *Mollior & nobis portendit bueulus alto*
Mugitu, glaucas rabidè carpendo cicutas.
At ſatius diſtenta parum flaua vbera Vaccæ,
Quæ dare luce duo carcheſia plena ſolebat.
Tum biduo Nyſſæ cogenti reddidit vnum.
Ah fatum, exardẽs fatum, lacrymabile fatum,
Naiades hùc Nymphæ pulcrã deducite Lyſam.
Gy. *Iamq; valete boues, iam longa valete Iuuenci*
Tẽpora, quos vidi noſtrũ ingemuiſſe receſſum.
Nan vos decliui poſthac proiectus in vmbra.
Cõſpiciã nitidos, & prata per ampla vagãteis.
Cara Gyon poſt hac vobis examina ſolers
Non thyma, nõ calthã, caſias, & lilia, nardum,
Narciſſi flores, cyanos, violaſq;, roſaſq;
Faſcibus obiectis nimio tutabitur æſtu,
Seu cum frigenti Boreas progreſſus ab Arcto
Decutit omne genus florũ, venitq; per auras.
Hæc mage, Lyſa, tibi fuerũt, qua nẽpe corollas
Nectere me iuſſi redolentes omnibus horis.

Red-

Reddite, formosā Dryades mihi reddite Lysā.

Tirſ. *Ite diu læta Iunices, ite capellæ,*
Et vos lanigeræ, leuior mihi cura, bidentes.
Ite capri, & noſtrum ſolatia lentus Aſellus:
Heu dolor immitis, non vos latrante Lyciſca
Luxuriare ſimul ſpectabo Conſitor olim;
Conſitor vlmorum veſtri decretus ad vſum,
Quid tibi non potui iam toto pectore Lyſa?
Naiades huc Nymphæ pulcrā deducite Lysā.

Gyon. *Et reditu differs tātis reuocare periclis?*
Reſpice mærentes herbas, mærentia rura:
Agmine labiſico currunt de montibus amnes.
Iam ſilet omnis ager; ſi tu formoſa reuertas,
Protinus ornatu vernabunt arua ſuperbo.
Agmine melliſluo current de mōtibus amnes.
Quæ mora te ſuperat? nexus diſſolue morarū.
Meri rides ſummota tuis hinc eminus oris?
En cui ſollicitus toties dumeta putaui,
Cui ſalebris iuuit campos purgare ligone,
Atq; adeo placidis inducere fontibus vmbras.

En

En cui ſubmota ſparſi mea ſemina terra,
Ordine cui poſui buxum, platanoſq; , pyroſq;.
Hoſtica fortè manꝰ grauidos populabitur agros.
Reddite, formoſã Dryades mihi reddite Lyrã.
Tyrſ. *Quin, pridẽ feſti, lugent clangoribus altis*
Paſtores quacũq;, ſuis non vlla capellis (pho
Tẽpora diſpẽdunt. Nemoroſa per inuia Nym-
Ludicra turba ſilẽt. calami nõ barbitos vllus
Cuſpide reſponſat filo concitus in omni.
Iam renuunt pueri tenues inflare cicutas.
Vellera turpãdo lãguet pecus omne ſub alnis;
Spargit humũ pomis bacchato flamine Caurꝰ.
Ne ſine, Lyſa, animo longũ ſqualere volucri
Omnia. Tute potes mœſtis ſuccurrere rebus.
Tũ videas Faunos, Satyros, & Oreades ipſas
Nympharũ omne genus ſuſim per cõpita læta.
Agmina multa etiã thyaſos agitare frequẽtes.
Tum pueri dulces inflabunt vſque cicutas.
Heu ſi quid noſtri miſeret te, Lyſa, redito.
Tyrſidis in pecudes quæſo ſuccurrere anhelis

Se-

Sedulitas, amplexa tuũ circa omnia Tyrſin.
Naiades hùc Nymphæ pulcrã deducere Lyſã.
Gy. *Eheu nequicquam Tyrſis iactamus in auras*
Carmina ſolliciti, ſurda eſt iam Lyſa remotis.
Eheu ſunt noſtris & ſydera ſurda querelis.
Tyr. *Quid miſeris reſtat? Lyſæ perdemur amore.*
Perdemur; noſtros quondã lacrymabitur ipſa
Lyſa infelices caſus. miſerebitur omnis,
Cũ dulces animas immatura abſtulerit mors.
Talia iactabant, cum Sol procliuis in vndas
Occuluit ſe ſe. tum nox proceſſit, & aſtra,
Montibus atq; altis mœrentes Nymphæ vlu-
larunt.

FINIS.

LY-

LYCIDAS

Seu Franciſcus Piazza, in quo præter innatam eloquentiæ maieſtatem, vitæ etiam integritas effulget.

PASTORALIS SECVNDA.

Mopſus.

IAm Sol admiſſis Taurum luſtrabat habenis
Arietis exacta certo ſtatione recurſu,
Cum ſolet algificam Tellus exuta ſenectam
Addere centigeno capiti de flore coronas.
Tēpora cum reuehūt ſua munera Chloridos almę
Et iuuat exultim luſus miſcere per agros,
Frigidior ſedenim toto campeſtria mundo
Bruma tegens, glacie inſtabat cohibere niuali
Exangues prope ſub tectis homineſq; , feraſq;.
Ante focum vitæ munus: penetrale decebat,
Non vllo accipiens auras ex æthere hiatu.

Dicite Paſtores, quorum præ algoribus agnos
Diriguiſſe, ferunt, violentaq; funera ſubter
Perpeſſos flatu matrum, ſublataq; paſſim
Pignora caprarum, gregis & ſpē forte nouandi:
Non lacrymas vineta dabant prociſa, nec auſi
Ruricolæ duro glebas diſcindere ferro.
Non ſata culta ſolum, non gramina collis alebat;
Sed canū nemus omne, nec arbos turgida ramis.
Dicite Siluani caſum, memorate Napææ
Triſtia fata: ſimul vitreis Nereides vndis
Ingeminate, gelu caput abdidit Amphitrite;
At quoniam Floræ gremio delapſus olentis,
Veniſti huc, Lycida, forma præſtantior Aty,
Suauior & myrto, vincens albore liguſtra,
Carbaſa dāt Zephyris Nautæ maria alta legētes,
Et pater Hippotades clauſis Aquilonibus antro
Annuit. Excutiunt Cauri vaga nubila Cælo,
Lætificos reuehitq; dies Hyperione cretus
Lampade crinali, quales non altera quondam
Vſq; adeo placidos ſenior luſtrauerit ætas.

Ar-

Arboribus rediere comæ, tepidoq; remiſſus
Flamine palmes agit formoſos vndiq; botros.
Vireſcunt herbæ: pecori iam pabula montes,
Pabula candidulis fœtant placitura Iuuencis.
Vertit humum facilis curuato dente Colonus.
Omnia vernales largè iucunda per agros.
Et ſegetem ſulci, & nardos adolentia rura
Suppeditant vltro: fuſim ſibi nota reuiſunt
Iugera læta boues longùm fraudata decore.
At nimis infauſti, diro quos frigore mater
Edidit ante alias vrgenti pondere fœtus.
Felices orti ſerò, felicibus auris.
Et pecus ò Lyſæ multo felicius ipſis,
Cui datur è ſtabulis tanto Cuſtode reduci.
Huc ades ò Lycida, Lycida gratiſſime rerum.
Te canimus læti, carmen ſit muneris inſtar.
Sed lõginqua nimis, quoniam patet area laudũ,
Pãdite Apollineas Muſæ mihi, pãdite lymphas.
Culmine quantũ alijs præcedit montibus Atlas,
Et quantum procera ſolent laureta geniſtis,

Se tantum Lycidas cunctis Paſtoribus effert.
Florida prata monent, ſiluæ teſtantur ouantes,
Et qui mellitis vrgent concentibus auras,
Nympharum cunei, mōtanaq; Numina plauſu.
Pandite Apollineas Muſæ mihi, pădite lymphas.
Iam procul à ſeptis rabies inſenſa Luporum
Luſtra tenet, vulpina ſimul, quæ callida furtim
Vexabat veniens immiti aularia dente.
Impauidè campos omnes, & paſcua cuncta
Percurrit numeroſa manus diffuſa bidentum.
Hàc dumeta boues niuei, hàc iuga celſa capellæ.
Mirātur pecudeſq; ſatis, pecudumq; Magiſtri,
Gramina deſuetos paſſim dare mollia ſuccos.
Sed vos ornato circum de fornice myrtis,
Cœtus Amadriadū quis iā nouus ingruit ardor,
Inſolitum ſtupuiſſe decus, terræq; nitorem?
Et benè gemmato cultu exſultare vireta?
Aduenit Lycidas toto celeberrimus Orbe.
Exoptatus adeſt præcinctus tempora Lauro,
Quà virides Arnus picturat arundine ripas.

Anog-

Agnoſcunt Lycidam campi, ſiluæq; virentes,
Et ſibi Paſtores referunt ſua gaudia veris,
Gaudia vix vllis vnquam interitura diebus.
Hùc igitur celerate viam, præclangite ludos,
Atq; leues trepidi choreas taſſent Satyriſci.
Pãdite Apollineas Muſæ mihi pandite lymphas.
Hic eſt, qui grauidæ Matris poſt editus aluo
Virtutis multæ ſignum, decoriſq; futuri
Ingeſſit toto cœtu plaudente Sororum.
Fila reducentes aderant fatalia Parcæ,
Parcæ Herebi(ſi vera canunt)Terræq; propago.
Atherias quondam Cœli profuſa ſub auras,
Quæ ſuper hæc gnato deducta voce tulerunt.
Creſce puer validè, ridet tibi Iuppiter altis
Sedibus, vtq; viros tenero ſub flore Iouentæ,
Præcipit exuperes longè præſtantibus auſis.
Te Venus, & Charites decorãt, & gloria tecum
Dia refert Mũdo ſupremæ laudis honores.
Tecũ amor, & ſacro Nymphæ de monte bicorni,
Nymphæ culta Iouis proles egreſſa cerebro.

Aucte puer genio; fauus eſt non dulcis hymetti
Montis, vt Aonium carmen, quod flauus Apollo
Digeret vſq; tibi. Mirabitur omne Lycæum,
Gymnade Pieria celebrem te vincere lapys,
Et quemcunq; leues doctum perflare cicutas.
Iam tua Pyrrhæas abducet fiſtula cautes:
Quin ſubito accurrent, ſed non rabioſa, ferarū
Agmina deducta cantus perculſa canoro.
Tum ſimul oblitæ cytiſum ſine more bidentes,
Et virgulta capræ, agni lac, hædiq; petulci
Auribus arrectis ad grandia verba manebunt.
Neu verum temerāt Parcæ. Gaudete Parētes,
Tanto dignati pueri: gaudete, nel vllos
Gaudia veſtra dies peragant vitiata dolore.
Altius ire licet. pacatum ſæpe Tonantem
Compellet triſidum dextra deponere fulmen.
Tanta animo Virtus Lycidæ, vis tanta precādi.
Non Caſtor Phœben acri correptus amore,
Tyndarideq; Paris, bellū Endymionaq; Phœbe
Vſq; adeo perijt, Iuuenem velut altius omnes

Agro-

Agrorum, nemorumq; Deæ. verſabit in illis
Ille faces blando cultu, blandoq; lepore,
Edoctusq; alacer dulces præ nectare mores.
Creditis haud quicquam lætantes ordin Cycnos
Hac mulcere auras cantu per inania Cœli
Gutture mellifluo, quorū feſtè in medio Dux
Nunc ciet ore melos, nunc apta ſilentia mādat?
Sic Lycidam tactæ ſacrato flamine turbæ
Vndiq; verſantē moderamina, circumſiſtent.
Fortunate Puer, cui tantum præcinit omen
Immortale decus virtutum muneris ergo
Hæc Parcæ, & viridi cunabula tota abeuntes
Baccare cinxerunt, primum ſed tempora Nato.
Hac Parcæ, & nobis retulit fidiſſimus Alcon;
Rettulit ille modo, quæ nunc ſpectare fatemur.
Inde tibi, Lycida, noſtri miſerate laboris
Cuſtodes pecorum verbena ſpargimus aram,
Spondemuſq; nouos proni decernere honores,
Cynthia luſtrabit quoties radiata Gemellos.
Aſt ego pubenti cælans in cortice Laurus

Debitor in primis, regero indelebile carmen.
Deſtituent vltro nitidi freta cærula piſces,
Quũ Lycidam cantu Mopſus fraudarit honeſto.

FINIS.

DAPHNIS

Seu Philippus Burghius, quà natalibus, quà virtute, ac cæteris ad ſummam omnium gratiam retinendam conſpicuus.

PASTORALIS TERTIA.

Melibœus. Lycon.

Mel. *Pergite Seriades tenero ſuccurrere Vati.*
Vos mihi de ſacra dudum appendice vocato
Pollicitæ viridem Phœbo nutante coronam.
Iam ver floricomum totis concepit in aruis,
Largaq; protenſo diffudit munera cornu.
Verſicoloratis pellucent omnia fertis,
Et benè flagranti luxu congerminat arbos.
Pergite; non æquas dum reddũt auia voces,
Nigraq; defeſſis coryli dũ gratior vmbra eſt.
Magnũ, quod veſtro tentat ſilueſtris auena
Lu-

Ludere præſidio, cantu præfecta Lyconi.
Daphnis adeſt ſummo cantari dignus amore.
Lyc. *Et me Parnaſſi muſæ ne arceſſite lymphis*
Dilectum gracili impulſu, ſtudioq; canendi.
Tuq; prius Pataræ, ſacro mihi numine preſſis,
Dū virides ſiluæ, et violis nemus oē refulget;
Fluminaq; et leni alliciūt præ murmure fōtes.
Annue, quandoquidem latè patet arta laudū.
Sed (Melibœe) dies adeo quid perditur vltra?
Tu cantum inſtituas, ego reſpondere paratus.
Mel. *Daphnis Paſtorū decus, & tutiſſima noſtri*
Spes æui. Daphnis, quo nullus gratior Arcas
Ore inflare ſonos, auremq; euellere cunctis,
Seu canat in triuijs, Iuuenum ſtipante corona,
Siue per impulſus diſcurrat arundinis omnes.
Lyc. *Deliciæ Phœbi Daphnis, cui plurima Virtus,*
Aureaq; egregio ſemper lux emicat ore:
Ergo ſi perflat calamos bonus Arcades inter
Obnixè, accurrūt ipſæ ad modulamina cautes,
Ne dum lætiſico Paſtores vndiq; plauſu,
Nym-

Nympharumque chori, & ruris quæ blanda
voluptas.
Mel. *Nũc tellus quacunq; viret, pinguiſq; recẽti*
Gramine concepit varios effœta colores.
Arrident nemora alta comis, armentaq; circũ
Læta per vmbriferas carpũt ſibi pabula valles.
Hàc Cythiſus, pingueſq; rubi, niueũq; liguſtrũ
In ſumma arbuſti penitus viticula iactant.
Hàc fluit irriguo curſu fulgentior amnis
Garrulus, atq; ſono pulſat caua ſaxa loquaci.
Leniter afflatũ frondes diuerberat aura,
Aura iugo ſuadẽs dulcem irrequieta ſoporem.
Quod ſi te (Daphni) his vertas pulcherrime
ab oris,
Omnia grata ſimul tecum ceſſiſſe videres.
Lyc. *Mellito Progne cantus interplicat æquos*
Gutture, quam roſeis cumulat Dea Flora
maniplis.
Iunior annus adeſt, florũ decoratus honore:
Hinc auro, inde nouo ſpargũtur murice vites.

Iam

Iam ſua rura Paphos iactet, Pactolus arenæ
Præmia, & Oſſæ colles Heliconia Tempe.
Donec adeſt Daphnis Mutilæ conuallibus imis,
Arua Papho Mutilæ non cedent, nec ſua Lamon
Præmia Pactolo inuideat, ſi paruulus alueo.
Semper Lenæis pendebunt vitibus vuæ.
Semper fœcundis Tellus non indiga roris.
Melle fluent riui; naſcentur maſcula ſiluis
Thura; voluptificū ſemper dabit annus odorem.
Quid non ſperemus ſeruato Daphnide nobis?
Daphnide ſeruato noſtris læta omnia Terris.
Mel. *Tu Corydō Galateæ cura: Amaryllide gau-*
Titirus: exardet Daualū pulcherrima Nice: (det
Et Mopſo Niſa accenſa eſt, Phyllisq; Menalca.
Daphnin Lyſa perit, vel quantum Amaryllida feruens
Titirus, & Daualū quantū pulcherrima Nice.
Totus amor Lyſæ Daphnis, quo tota voluptas.
Hic ille eſt Daphnes cultis ditiſſimus agri,
Cui bis mille replent pingues mulctralia capræ,
Cui

Cui ter centum armenta ſuis in collibus errant:
Nam totidem latis vernant ſibi paſcua campis.
Lic. *Fama hæc Heſperiæ magna eſt Melibœe per oras:*
Nouimus hæc ipſi, mens & perquirere Daphnin
Sola fuit, ſeu valle procul, ſeu valle moretur.
Ille vbi gramineo pronos ex aggere vidit,
Ecce Lycon pecudes, dixit, poſthac tua cura.
Prata per, & ſaltus dociles mihi paſce Iuuēcos.
Mel. *Et me cuſtodē norunt ea paſcua quondam;*
Namq; ego luſtraui toties, luſtrataq; paui
Pignora Caprarum muſcoſæ ad ſtagna lacunæ;
Sed poſtquā vidit Codrus me ſumma petētem,
Vidit, & inuidit Codrus; modo gaudet & ipſe.
Quod graue ſi nobis non ſors inimica tuliſſet.
Nūc tamē ab noſtri iuræ ſunt Daphnidi amores.
Lic. *Parce puer queſtu; nā cur per inania differs*
Tempora maiores dictis emitteres laude?
Mel. *Immo Lycon (quando amborū iā viribus*
Maius, & accedunt vmbræ) ceſſabimus ambo.

Clau-

Claudite Pierios Muſæ ſpes noſtra liquores,
Claude Pater Grynæe lacue Aganippidos vnde.
Iam ſatis eſt nobis, ſatis eſt tinxiſſe labellum.
Quod ſupereſt plectro melius cantabit eburno
Tybridis in ripa Damon, ſeu dulcis Amyntas,
Crudior eſt Damone Lycon, Melibœus Amynta,
Vel calamis, vel dulce loqui per cōpita Phœbi.

FINIS.

PASTORALIS QVARTA.
Menalcas. Amilcon.

Men. AN *caſeo preſſus Caſtro ſuccedis Amilcon?*
Quò properas flagrãte genas? diuerte parũper.
Hũc properabit ouãs promiſſo crine Philotes.
Num tibi deſpectus curo de monte capellas?
Ergo ſi ſte parum, noſtras ne deſpice quercus.
Amil. *Haud equidem credo, Iuuenem nimis ardet Amyntas,*
Plus alijs ardet, noui, mihi crede Menalca.
Men. *At veniet, veniet, nũquã deluſit amantẽ.*
Interea ſi fortè pyri dulcedine gaudes
(Iã pyra præbet ager nobis, quæ lumina fallũt,
Scilicet aſpectu viridi cumulata ſapore)
Deguſtes verò, multum guſtaſſe iuuabit.
Ecce venit, ſalebroſa venit per cõpita cliui.

Men-

Mentio, ?ab ſũma eſt cari ſibi cura Menalcę.
Siſte age, pertenta calamos innixus Amilcon
Vmbriferæ corylo, meriti cantemus honores.
Carmẽ ego; et carmẽ vel tu meditare cicuta.
Quale decus mũdo ſqualenti reddit ab ortu
Mẽnonis alma parens niueis perfuſa pruinis,
Tale refert nobis motu grauiore Philotes.
Quis potis æquali modulo cecinisse nitorem?
Soluite Pierides mihi carmina, ſoluite vocẽ.
Et quia turgeſcunt plantæ genitalibus auris,
Serta illi glomerare parat redolẽtia Chloris.
Tẽpora Chloris amat iuueni variata decore
Verè nouo quoties vernat pleno vbere tellꝰ.
Quis valet afflatum ſtipulis æquare canoris?
Soluite Pierides mihi carmina, ſoluite vocẽ.
Cum primũ primas hauſit vagitibus auras
Pegaſidum fotus gremio, cõpreſſus & vlnis
Imbibit omnigenas hauſtu cũ nectaris artos,
Verſibus inde facit culto miranda lepore.
Quis ſatis ingeniũ plectro moduletur eburno?

Sol-

Nulla dies memori tollet mihi mente Philotem.
Montibus, & ſiluis Corydon ſuſpiret Alexin,
Et canat inſigni puerum præcellere forma.
Ille humiles habitare caſas cōtemnit, & ipſum.
Sed mea quottidie puero formoſior omni
Viſit rura libens Phœbo ſurgente Philotes.
Quæ ſatis exceſſus animi, quæ reddat auena?
Soluite Pierides mihi carmina, ſoluite vocem.
Immo etiā dum Phryſſa iubet collecta mamillis
Ad mulctrale pecus, cogit ſimul ipſe capellas,
Atque vltro lactis ſpumas velamine librat.
Ah memini lenta calathos texiſſe geniſta,
Lucētes calathos Phryſſa mea ſepta ſecundum.
Vimina glubentem viridanti cortice nobis
Deſpexi nuper, ſocio ludente Labinna;
Quis parili innumeras moduletur arundine laudes?
Soluite Pierides mihi carmina, ſoluite vocem.
Vt ſata Ruricolis, vineto peruia compta,
Floribus vt roſeis fuluo ſua grana colore,

 Cauli-

Caulibus vtq; hederæ graciles, hederiſq; corymbi,
Ille decus pago, teneræ decus ille Iuuentæ.
Quæ potis innumeras deducere tibia dotes?
Parcite Pierides cantu, compeſcite vocem.
Amil. *Pectore claude melos, ſatis eſt, iam claude Menalca,*
Deflexit Iuuenis propior, mihi cede quaſillos.
Iam ſupereſt medio curſu Sol aureus Orbi.
Adducam Domino caſeos. Tibi laurea amoris.
Men. *Et potes hìc mecum vel tota luce morari.*
Luce quidē; ſed erunt etiā tibi ſtragula nocte.
Ne diſcede (modo liceat) cras ibimus vnà.
Hac dulces vmbras, hac vera fateberis arua,
Iā iam Phryſſa leget gratos ad prādia fructus,
Frigidulos fructus, quoniā ferit æſtus ad oſſa.
Am. *Nō vltra poſſum: grates tibi mille rependo.*

Varia Hominum ſtudia.

ARma canunt alij grauibus Mauortia ple-
ctris,
Quos iuuat Aonidum nutu, celebrantq; Dionem
Laudibus inſignem formæ, ingenioque Miner-
uam:
Seu pietate Numam, ſeu firmo robore Turnum,
Penelopeſq; fidem referunt, Veſtæq; pudorem.
His ego, doctiloquos inter nequiſſimus omnes
Ludo procul: Veterũ ſatis hæc libata cothurnis.
Satq; ſuperq; datum Scenæ. leuiore capeſſam
Carmine multiplices hominum deducere curas.
Muſa tuo faueas audenti nuper Alumno,
Cuius me dono tetigit Parnaſſia Laurus.
Sunt, quos ardor habet, famæ compendia propter
Legibus Oceani fines tranare ſuiſmet,
Ac merita imperij cunctis incendia voce
Clangere terrifica ſublato fine minarum;
Cum malefacta velint rectis numerare proterui,

Si quis adeſt monitor, ferlunt conuitia Phœbeu.
Hàc videas altis ceruicibus incedentum
Compoſitè cuneos: petaſo nimis ille renidet,
Inſertis, quos flaua Tagi vehit vnda, lapillis,
Atq; ſuperbificos collo iuuat addere nexus.
Pendula vel circum ſuras huic rēditur oſtri
Congeries, aut ipſe omni micat vndiq; luxu:
Aera ſi captent nares, dum præterit, auſis
Credere odoriferos Arabum geſtare maniplos.
Alter in alterius gaudet conſurgere cladem,
Nunc ſitit immani ſtudio defendere ſontes,
Nunc auet immeritum iactura plectere honoris.
Vellicat: hinc vindex inuiſum laudibus effert.
En eat inficias aliquis, cupiatq; negatum,
Per ſanè crebrò mentiri nomen Amicos?
Palpantes adeunt illàc te caumate laudis,
Iam tua rimari ſibi ſtat præcordia firmum:
Et ſi non damnum pariunt, nouiſſe iuuaret.
Moris Ariſtarchi ſectantum plurimus ordo eſt.
Imbellis robur ſimulat, velut inſcius artem.

Liui-

Liuide, qui ſocij obtrectas ingentia facta,
Ah bibis incautus verè exitiale venenum:
Viſcera diſcerpit liuor, ceu vipera matrem,
Inde ſub inuidiæ palleſcũt verbere vultus.
Pallas Arachnæa, vidi, queis annuit arte
Vellera tractantes ita ſuccubuiſſe nefandis
Quęſtibus, vt multo dederint diſcrimine telas.
Mille modis alibi detractant, mille per artes
Dodranti omnigenæ mercis, falluntq; videndo.
Hic Palamedæis non nemo legibus obſtat
Ignarè, velletq; ſuum crebreſcere pondus.
Parte alia numeroſa manus; non munera Bacchi
Poſthabet imperijs, Aulæ, pagoq; tabernas.
Hinc, atq; hinc totas modulata voce per Vrbes
Ritè repercuſſis aptando carmina neruis
Ad thyaſos rogitat nunc lætabunda Iuuentus,
Mox furit in cædem funeſto Marte peroſi
Riualis, gladiumq; hoſtili ſanguine turpat.
Eſt alia innato multis de more voluptas
Seq;, ſuumq; genus laudandi munere pleno,

Ne pigeat laudi tenebras æquare, dieſq;
Arua mouet canibus Venator concita laxis,
Seu curſu præcelſa tenet, ſeu luſtra ferarum,
Vſq; adeo ſylueq; iuuant, ſtudiumq; Dianæ.
Stipite arundineo piſces in margine ripæ (cepr,
Quot capiuntur? aues pedicis quot detinet Au-
Ocia quò ſolum peragat, laudemq; lucretur?
Sed verò quoſdam delectat ludus in armis,
Luctariq; manu varia ad ſpectacula vulgi.
Quippe etiam domibus terraq; mariq; relictis
Non paucos noui peregre ſcrutarier Orbem.
At quibus interno ſors eſt mœrore teneri,
Feſta procul, choreæ, ludi, conſortia læta.
Haud vtiq; illepida ſcurram qui ſuſtinet arte
Obuius occurrit paſſim, riſumq; laceſſit.
Hoc ſatis imprudens genio ditatus alacri
Factitat, indultus facilis fraudando Mineruæ.
Quid moror ingluuie dapibus diſtenta voraci
Agmina multigenis, vario lætata Lyæo?
Eſt qui quærat opes nimium cumulare licenter,

Sci-

Scilicet iſtorum vel noſtra feracior ætas;
Inde cacuminibus moles ad ſydera iactant
Vndique marmoreo luxu, vitreoq; decoras.
Hùc ſtudiũ quodcunq; venit, mentẽq; fatigãt.
Ecce autem perdocta manus vix tollit amuſſim,
Stamina cum Lacheſis vitæ iucunda recidit.
Non vos deſiſtam cantu memorare Salaces:
Pectore ſæuit amor, igneſq; Cupidinis vrunt.
Vobis infelix Virtus, prudentia fallax:
Mens ruit in peius; ſequitur dum fœda, paratur
Exitium, inq; dies irrepit flamma medullis.
Fœmina cunctorum penitus dux ipſa malorũ eſt.
Id crudele genus, nulli memorabile nomen;
Indignata Viris heu quot molimina tentat,
Officit illa magis vibranti milite ferrum.
Turba puellarum faſtu concita ſuperbo
(Notus amor forma præcellere) ſponte ſiletur.
Sed quid ego hæc dudum ſolerti exhaurio muſa?
Quidue loquor molles, & rectas protraho curas?
Non deſunt, nunquam vexet quos vana libido

 (Con-

Contentos proprijs, quicquid Natura repoſcat
Dulci carpentes vſu, placideq; ferentes
Cum fato fatiq; vices, rabiemq; inimicam.
Quod ſi forte animo ſtudijs vtuntur amico,
Scilicet hæc verè eſt (neque enim contendere Momus
Audeat) integritas Vitæ contermina Cœlo
Laudibus eximijs, demumquæ munera poſt hæc
Luminis occidui dignos interferit aſtris.

CATACLYSMVS TERRÆ MVTILIANÆ
Sub die prima Iunij 1634.

SÆua diu lacrymas triſti elicitura Mutilo
Agmina lympharum, formidatoſq; furores
Quanto ſuſtulerit fluuius caput amne, vadiſq;
Exierit, veri promus ſubvectere cantu
Aggredior. Pace fauens iuuenilibus orſis:
Vim ferus amnis habet triſtes v[illegible]re Camœnas
Carmen ad horrificum, quod nullo decidat æuo.
Quis ferat hos caſus tacite, ni vocibus iras
Alleuet, ac diro ſe ſubſtrahat ipſe tumore?
Spectat vbiq; minas fluuij gens accola, tantis
Fluctibus inſanit per limina celſa reductu
Irreparabilium quàm formidandus aquarum.
Vndiq; funeſta erumpunt ſe mole dolores.
Heu mercator opum cumulos queriturq; doletq;
Quas videt ante oculos nigris emergier vndis.
Sed vos Naiadumq; cohors, & cætera Lymphis
Nu-

Numina, quæ tā fœda habuit, penituſq; verenda
Sæuities? tanta immeritis permittere damna?
Iamq; aſſurgebat multorum ad limina curſu
Pulſus aquæ, et valuas maculās aſpergine turpi,
Nec notum hoc adeò eſt, vndis feruentibus altè
Magna per anfractus aliquorum damna parari,
Cum populo vox vna fuit, vox æqua furentū.
Heu ſuperi quæ finis adeſt? quæ tanta ruinas
Omina portendunt? veteres an ſurgere luctus
Incipiant, vtq; atris olim exterrita monſtris
(Neu ceſſit forma illa animo) ſic angier & nunc
Pectora? ſi nostra heu mereāt penetralibus imis
Deceſſiſſe bona vndantes mergenda per agros?
Aſt vbi feſtinis manibus, pedibuſq; neceſſe eſt,
Irrita procedit verborum copia diues.
Fortè quod hæc nemo Lamonis flumina parui
Extumuiſſe vadis tam ſæuo crederet auctu.
Cum tamen aſſiduis ante hac bauhatibus æther
Infremeret Iuni minitatus ad vſque Calendas,
Credere erat, Cœli lacrymis ſine more futuram

Hanc

Hāc ſortem, & largos imbres arua ægra manere.
Iam quod conſtitui, perago; nec ſemita fallit
Errantem procul à poſitis ambage loquendi.
Deſierat cum voce pauor, tumidiq; furores,
Audaciq; ſimul contractum flumen ab auſo,
Dum redeant animi prorſus, dum tota reſidat
Spes animo cunctis, & pacta cura ſalutis.
Sed fatum crudele nimis, proh flebile fatum!
Olli dirupto ſtridunt crepitoſa fragore
Nubila: confuſi triplicatis ignibus ignes
Emicuere alto, ceu flammæ cuncta reſoluant.
Grando ſubit, luctamq; Notus, Boreaſq; ſonorā
Exercent, quorum diſiectæ flamine ſyluæ,
Et celſis ablata cadunt faſtigia tectis.
Ac veluti truculenta Phalanx hoſtilia circum
Mœnia terrificis implet clangoribus auras
Arma ſonant concuſſa armis, ſinuantiaq; atro
Turbine ſaxorum: pars altera vibrat in hoſtem
Comminus ambitas flammis ex aggere moles.
Feruet opus: centumq; pilas tormenta frementi

Ore vomunt, donec murus ruat omnis, & ipſi
Extrema decus obtineant in morte cadentes.
Sic Mutilum circa celi fax, atq; tonitru.
Aeole cur ſæuis nullo te vindice contra?
Curue Hyades, Geminiq; adeo ferueſcitis ira?
Iuppiter omnipotens huiuſne Acherontia proles
Funeris illuuie minitati læta recedat?
Parcite ſolerti populo, vos parcite Diui.
Sed verò crudele nimis: ſed flebile fatum.
Vndiq; conglomerant riui: profuſus ab alueo
Quiſq; cataclyſmum verſat: ſymplegades ipſæ
Mœnia propulſant grauiter, ſi fortè caueantur.
Protinus abſcedit firmo cum margine pontis
Alta ſuperficies curſu deprenſa voraci,
Perq; fori tractus aditum ſibi plurima aquai
Agmina conficiunt medijs illapſa tabernis.
Tum verò cuicunq; datur pernice laborat
Feſtinare gradu ſurſum venalia perdens.
Vnda redundanti cumulo male percita rurſus
Porticuum lambit maiori flumine tecta,

Te-

Tecta, baſeſq; ruunt, multæq; à ſedibus imis
(Proh dolor) excuſſa prorſus compage domorum.
Itur in internos alijs fracto obijce cuncta
Vſque lares, tabulæq; natant, arcæq; feneſtris,
Et Baccho ſuppleta locis vaga dolia ſurgunt.
Heu memorare pudet Muſam grauiora relatu.
Vidimus, heu luce hac viginti functa bis ipſo
Corpora delapſu miſerè perlabier vndas.
Qua ſpecie varios vix ſuſtineas vlulatus.
Ingeminare audis ſua nomina cuncta ſuorum.
Occuluit ſe ſe Phœbus, ne tanta videret
Impia fata, ſuis oculis indigna notauit.
Dicite, qui propter ripas conſcinditis arua,
Dicite vos, quali maduerunt ipſa tumore.
Quam vineta ſuũ decus haud illæſa querantur.
O ſqualens porrò nimium mutilata Mutilli
Gloria, ni poſthac melior tibi forma reſultet.

REV. P. D. SIMONI MARINO è Congreg. B. Ieſu de Rauenna.

Εγκωμιαστικον.

VNde mihi iam tantus amor, quò flamine pectus
Incalet Aonio pactumnec angier vltra?
Siue per immodici diſpendia ſumma laboris
Noſtra ſoporifero ſimulator lumina Morpheus
Ingruit aſperſu; me ſiue per acta fatigem,
Semper inarſuris contorquent ignibus ignes.
Phocidis at repetam frigentia pocula cliuo, (des
Quicquid latrantũ manus euomat improba, lau-
Perſequar inde tuas: quis enim te iure ſileſcat
Inſignem probitate Virum? Tibi macte verendis
Moribus arrident ſpeculantia Numina Cælo.
Ergo auſus dignare meos, humilemq; Thaliam.
In te Relligio multum Virtutis auitæ
Agnoſcit rediuiua, quibus deiecta procellis

Vix

Vix dudum (nictante Deo) caput egit in auras.
Iamq; animos multis obliuia longa ſubibant
Noſtrorum, cecidiſſe ferunt pia geſta, Parentū.
Cum tibi ſurrexit veræ ſententia mentis,
Non ea deſidiæ culpa vergente, ſileri.
Lumine purgato veterum monumenta Virorum
Certus obis, acri imperterritus ipſe labore.
Hinc tibi ſurgit opus, verū per ſe acta loquūtur
Fulgens eximiæ ſpecimen pietatis, & vſus.
Proh quanta, dubijs inhians abſcedere, cura
Hauſiſti longos animi, mentiſq; dolores!
Immò etiam poſt hæc, ſcimus, te deſidis otî
Præcauiſſe moras, ſegnes vbicunque peroſum.
Te ſeptem geminos inter vetus Albula colles
Senſit anhelantem curis, ac iura petentem
Ordinis augendi veſtito Tyrone, per omnes
Vſque aulas Procerū, Patriſq; per atria ſummi.
Hinc vbi vota labor non irrita ſignat, in ipſam
Siſtit equus Patriam crebris calcaribus. Olli
Quippe nec immeritò Patrum iactatur in albo

Lau-

Laurea prima Simon, lauru decorandus odora.
Iam quæ ridenti fauit Prudentia vultu,
Torquendaſq; dedit modo Religionis habenas
Iure morata gradus ſemper tibi fida præibit .
Tu demum mira arte canis Succentor, & ab ſe
Gloria te iactat genitum quaſcunq; per oras.
Poma darē Alcinoo planè, qui pandere vellem,
Quod tibi laudis iter Cælo contermina ſternit.
Interea facili carmen propenſior hauſtu
Accipe deductum, teneræ modulamina Muſæ.
Et fortaſſe aliquod miſeratum Numen ab alto
Deſpiciet grauiore ciens mea carmina plectro,
Cum grauior mentum villis prætinxerit ætas.
Tum prius elatos repetent vaga flumina montes,
Quàm te deficiam pleno laudare cothurno.

Muſtela.

TEmpus erat ſiccis cū faucibus arua dehiſcūt,
Ac morus viduata comis ceu frigore ſqualet;
Æſti-

Google

Aeſtifer igniuomis medium ſuperauerat axem
Phœbus equis, croceo colluſtrans omnia vultu.
Iam flabro torrente Noti canebat ariſta
Setoſum demiſſa caput, ſternendaq; falce.
Nulla melos volucrum tenues iactabat in auras,
Non Philomela ſuum dulcis per inhoſpita ſylua,
Nec mage trinſatum præpes variabat hirundo.
Tum pecus omne ſibi pertaſum graminis, algus
Quærere limoſi decurſum fluminis inter.
Ardor Hamadryades viridi cubuiſſe ſub antro
Cōpulerat candens, & Numina blanda Napæas.
Me quoq; lethæa perfuſum aſpergine ſomni
(Quà varium Natura nemus picturat amictu)
Arctior amplexus coryli nectebat in vmbra.
Dulcia quis referat Morphæus quæ gaudia fer-
ret?
Forsè videbar ouans patrio ſuccedere tecto
Optatumq; diu propior ſenſiſſe parentem,
Cognatoſq; ſimul geminis cum fratribus omnes.
Ilicet hic dextram dextra petiit; ille ſiniſtram

Comprimit, ac viſi tandem me ſoſpite cunctí
Plaudere deſuetum, Cœloqꝫ rependere grates.
Contra ego dũ nitor ſuperaddere verba viciſſim,
Tollitur actutùm ſtridor lugubris in auras.
Sic, vbi proſpectat volucris ſua pignora nido
Decerpi, nemus omne replet furiata querelis.
Crura trabo mandens, nec ſat rationis adeptus
Qui reſupinus eram conuerti pectora ſtratis
Gramineis, aliquot vel dormiturus in horas:
At non hoc noſtræ fert vox inimica quieti,
Cum ſe ſe attollens penitus mihi verberet aures.
Hic ſopor excutitur, ſpecies, & grata recedunt
Somnia: anhelanti quare perculſus ab ira
Deſterto blaterans. Porrò nutantia circum
Pronũs huc illuc torquentur lumina Cœlo.
Nequicquam ſurſum. Stipulas, omnemqꝫ pererre
Proſpectum latè, obtutu non parcus in ipſo.
Tum mihi ſe ſe oculis præbet Muſtela, propinqui
Hoſpes dira ſpecus, volucrum ſuruncula, Ruris
Vſqꝫ parans rabiem noctu prædata columbos.

At

At miſerè ad pœnas (necibus pro forte patratis
Aligeræ pecudi) nunc ægra repoſcitur. Inter
Glebas hæret humi præduro tergore Buſo:
Turgidus axillas illam manet oris hiatu:
Ipſa ſed incaſſum greſſu pernice laborat,
Faucibus infeſtis, & ſe ſe gutture paſſo
Proripuiſſe fuga: ſedenim ſecreta retorquet
Cauſa pedes, metamq; iubent ſua fata dierum.
Iamq; propinquabat letho (miſerabile viſu)
Nunc rectà, ſeu nunc Mæandri more viatrix,
Pectora cum ſubijt pietas, & cura negandi
Funeris. Alterutrum meditatus ab inde lapillis
Vertere in effugium, ſic muta ſilentia rumpo.
En erit vt ſileam? patiar ſi crimine ſontem
Pendere te pœnas turpi ſub dente, miſella?
Nam quæ ſæuities? tantis ab parce querelis.
Talia fundebam diruptans vngue ſalebras.
Ecce repentino ſe ſtridula quadrupedatu
Proripit impatiens vitæ, Bufonis & intrat
Ora parata neci, tetro perfuſa veneno

 Cau-

Cautè ſub immani vitam cum voce reliquit.
CVNCTA coercendi Naturæ tanta poteſtas.

De Chriſti Natali die.

Nunc te ſumme Deus noſtri miſerate Redēptor,
Qui puer, vt quondā cœleſti Numine Vates
Inflati cecinere, vltrò ſub luminis auras
Prodijſti humani generis ſcelus omne piatum,
Ad præſepe ſequor cithara modulatus ouanti.
Nam quæ te pietas, quæ te clementia adegit
Cœlitus emiſſum tantos perferre labores?
Vos, conceſſa quibus Regnorum fluxa poteſtas,
Et qui veſtra adeò faſtoſi penditis ora,
Compreſſóſq; artus ornatu veſtis opimo
Tergeminæ, vt nulla prorſus vexentur ab aura,
Diſcite Cœleſtum naſcenti qualia Rege
Tempora conuoluat ſolito frigentior annus,
Lætitiæq; ſimul quæſo primordia noſtræ
Quoue fluant caſu, breuiter cognoſcite mecum.

Poſt

Poſtquam ſæua diu ſiluerunt prælia Martis,
Et rata ſunt orbi dilecta fœdera pacis,
Iuſſerat Auſoniæ Cæſar dux, nomina gentis,
Quæ ſibi pareret, deſcribi cuncta per orbem,
Et genus: atq; ſolum cunctis natale requiri.
Cernere erat patriam citroq;, vltroq; petentes.
Ac veluti vario pinxit cum prata colore
Ver, dulciſq; vocat lenta ſub fronde voluptas,
Rex emittit apes per amœna vireta vagari,
Voſq;(inquit)mora ne capiat, conſugite gratum
Floribus, & ſaturæ loculis properate regreſſum.
Continuo ſpectes mandata capeſſere iuſſas
Hinc abeunt aliæ: redeunt huc agmine certo
Quæ paſtæ, & dulci ſpargunt aluearia melle:
Auguſti edicto populi ſic Ciuibus omnes
Inſeruere ſuis nomen, iuſſiq; ſuorum.
Ipſe igitur Mariæ Coniux, ſeruantior æqui
Quo vel nullus erat Regali ſanguine cretus
Ab Solyma patriæ repetebat mœnia Bethles.
Connubio ſtabili ſibi iuncta puella praibat,

Fœta quidem, ſuperum proh cæca arcana Deorũ!
Pollutæ ſedenim nequaquam conſcia tædæ
Iamq; tenere ſimul quæ proxima tecta, profectus
Olim queis eſt in lucem grandæuus Ioſeph,
Cum ſe præcipitem vaſto dedit Oceano Sol,
Atq; viam nox atra negat, nec mœnia carpunt.
Succedunt pariter ſtabulo, cui carice tectum,
Atq; vlua, lentè tortis quæ preſſa viburnis
Hùc volat, atq; illùc Zephyris agitata per agros.
Hoc adeo largis intus rorabat aquarum
Stillis, regnaret quando nimboſus Orion.
Ipſe via auxilium ſteterat iam Quadrupes vnà
Rudibilis, feſſus, captuſq; libidine edendi:
Ergo Boui comes eſt iunctus, quo luce Colonus
Vno conducti glebas vertebat agelli,
Vt famis à diro poſſet ſe dente tueri.
Inclyta non procul hinc ſe ſe Galilæa lòcarat
In ſtipulis Virgo, tacitè penetrabat ab imis
Mente polum, grates Domino de more repẽdens.
Noctiuagæ nouies Lunæ decreuerat Orbis,

Ex

Ex que ventre hauſit fœtum Gabrielidos ore.
Interea medio voluuntur ſydera lapſu,
Cum placido cunctos iuuat indulgere ſopori,
Nixu torta Parens nullo (mirabile viſu)
Pignora grata ſibi hìc enixa eſt Saluatorem.
Extemplo videas deſcēdere ab Axe Phalāges,
Cælituumq; manus numero abſq; mapalia dudū
Cæca cluunt, tetram lux noctem fulgida vincit.
Aligerum inſequitur plauſus de ſede ſuprema
Quos Pater omnipotens terra imiſit ad oras.
Morigeri citharas pulſant hi: protinus illi
Compoſito ducunt imo de pectore vocem
Suauiloquam, lætis diſſultant ardua Olympi
Cantibus. & data Gloria; Gloria cuncta ſubinde
Reſponſant, ſuperúmq; datur pax candida Regi,
Pone viris tote ex animo ſperantibus illum.
Quo ſonitu iam ætate grauis, canuſq; capillos
Bethlemides ſaxo innixus de nocte profunda
Ad lucem reuecatus viuida lumina torſit
In puerum, obtutuq; hæſit defixus in vno.

Iam genitæ Genitrix oculos demiſſa nitentes
Flexa genu, vultum lacrymis ſuffuſaq; obortis
Talia voce dabat.
Salue ſanctè Puer, ſuperum indubitata propago.
Fauſtè prodieris rerum ſator, atq; hominū Rex.
Quiſnam tantus amor, quæ tāta cupido medullis
Inſedit, Mariæ vt tuleris geſtarier aluo?
Das, ah, vagitum ſtrigoſis nudus auenis.
Quid tibi quid faceremꝰ tantū tua numina adorē.
Dixerat. Ecce ruens Paſtorum ruſticus ordo
Commoniti Aligerum turba modulante per auras
Hùc non ſegnipedes veniunt. non cura bidentum
Diuertit, dubios niuibus nec ſtrata viarum.
Ingreſſi, at puerum tuti velamine egentem
Patris progeniem Summi, ilicet admirantur.
Tum ſenior, cui multa gregis vix hiſcere cura
Nocte, dieq; dabat, ſic eſt affarier orſus.
Ah nimium, noſtri nimium miſerate laboris,
Certa Deum ſoboles, Mundi qui cūcta gubernas,
Frigore qui pecudes defendis vellera ſupplens,

In-

Induis & molles pennas genus altiuolantum,
Naſcier hic rigidus tam diros voluere caſus
Pro dolor, & ſuffers! Vtinam melota Capellæ
Sufficiat, nuper quam functo corpore glubi.
Sed vos ô ſocij noſtro procumbite Regi.
Rex quondã premiſſus adeſt, nec fallimur vmbra.
Cernite Cœlicolas, atq; huic famulantia noctu
Lumina. Quid verò? empyrios agnoſcite cantus.
Empyrio, nam iura volunt, cedamus honori.
Interea ſalue; rurſus pulcherrime rerum
Ter ſalue, ô noſtri nimium miſerate laberis.

IOANNI ROBBIÆ
Epiſc. Britin. ac March.
Rocchæ S. Caſſ. apud RR. PP. B. Ieſu ſub feſt. Nat. B. V. M. menſis adhibito.

Metrodoron.

DUm iuuat in ſcenis ruri depellere curas,
Lætaq; ſub læto fornice verba loqui,
Tu Præſul generoſe ſubis quæ tecta fatiſcunt,
Tecta hæc vel cultu paupere nota ſatis.
Nectare paſcendus menſas dignaris agreſtes,
Ad quæ deuotus prandia cogit amor.
Et facilis modico luxu patietur haberi.
Nimirum hùc flectens paucula certus auet.
Iam deſunt vires: animi cognoſce fauillas,
Dicitur eſſe ſatis, cum miſer ipſe velit.

Ei-

Eidem.

Dicolon Tetraſtrophon.

Verticis Numen bifidi ſupremum
Docte quã Pæan recubas inerti
Segnior cura? nimium quieſcit
Barbiton audax.
Iam diu turpi numeros coerces
In mora, torpens auido micatu,
Facta ut per te digiti capeſſant
Otia parcè.
Tempus audacter laticis reſumpto
Poculo Aſcræi reciere neruos,
Ac metris laxos penitus canoris
Cedere frænos.
Tempus hoc, latos melioris oti
Soluere in partus animum potentem.
Phœbe laudando numeroſa plauſu
Gaudia prome.

Pro-

Prome non ulli modulos tenori
Gloria laudis meritæ ſecundos:
Verba percuſſi comitentur ictum
Grandia plectri.

Cernis, ut miro cumulet nitore
Tecta præclarum iubar hæc Ioannis,
Inde cunctorum rapiatq; fixas
Vndiq; luces.

Cernis, ut multo mage feriati
More ſacrorum cunctivirorum
Pendeant Patris celebri ſereno
Cælitus aucti?

Quippe non fluxo fruimur decore:
Aure cæleſtes bibimus pruinas:
Limitis longi ſeries bonorum
Fuſius adſunt.

Candidus morum, ſpecimen Ioannes
Purius recti. Sophia refertus
Ardua. Iuris merito verendi
Nobilis hoſpes.

Quid

Quid ſuper ſancto recolam benigni
Pectoris culeu? ſtupet aureus, cum
Vix ei Titan ſimilem ſub alto
Deſpicit axe.

Ergo ſummotos adeant receſſus
Tetra curarum propero volatu
Agmina hinc longe: melior voluptas
Gaudia miſcet.

Gaudia addictæ citharis Sorores
Iam fouent centum reuocanda plectris,
Præſulis poſtquam decorarit olim
Purpura colles.

Atq; deuictis herebi maniplis
Cum ſua (haud Vates ero vanus) ipſum
Præpotens Virtus comitem perenne
Iunxerit aſtris.

Ei-

Eidem Epiſc. diſceſſum molienti.

Epigramma.

Pone Thalia chelyn, docto ni pollice tractes.
Aptior eſt molli tibia mæſta ſono.
Quanta nos veniens perfudit luce Ioannes,
Lætitiaq; dedit pectora noſtra frui,
Eheu quando parat diſcedere, tanta locatur
Corde ſub excuſſo ſordida mæſtities.
Necte moras, nec te fraudauerit ille petite;
Gaudia, dic, nobis ſæpius ore vehat.

B. M. V. cuius ſimulacrum ex voto circumferebatur.

ALma Dei genitrix toto mirabilis Orbe,
Verbo fœta, viri neſcia, facta parens:
Dum redeunt celebranda tui ſolennia, nunquam
Non manibus noſtris victima multa cadit.
Iamq; alias deuota cohors altaria propter
Implorant. olli ſat coluiſſe Deam.
Nunc magis inſoliti meritæ ſtatuuntur honores,
Dum te ſubſequitur concio tota foras.
It clamor pſallente choro, mellita per auras
Pro modulo paſſim carmina quiſque ciet.
Quiſq; ſua accelerat pro captis munera donis.
Munere, quo gaudes candida corda dicant.
Hinc viola, inde roſis, nardo, luteaq; geniſta
Per fora, perq; vias vndiq; ſurgit odor.
Vſq; crematuro tua circum numina thure
Cochlear è ſacra replet acerra manus.

Acci-

Accipe Diua, minus veſtra ſi laude feratur.
Mortales nunquam Dijs grauiora vouent.
Accipe, ſi quid habent ſuperos pia dona mouere,
Dona peræquata mente remiſſa tibi.
Cælitus exaudi: votis vimq; adde precantum,
Ni per inane vehant irrita facta Noti.
Sæua fero cum Marte lues: ſic turpis egeſtas
Ceu facto cedant agmine Chriſticolis.
Gens ruit Heſperia magno haud inſida Tonanti.
Tempora da pacis, da requiete frui.

Eidem Diſtichon.

Corda rigent Italis' triplici conterrita caſu
Peſte, fame, bello. Conſule Virgo tuis.

De

Franciſco Piazzæ.

ACcipe dulce decus noſtri quã ſcribo ſalutem:
Quã non ipſe queo, charta notata venit.
Anxius inuiſi crebrò dilecta tuorum
Tecta, lareſq; , mihi quà modo totus amor.
Quàm facilis fuerat protendens cliuus eunti,
Quàm ſpecie multum compita longa breui!
Illic tenſueram rerum fore tempora vocis,
Inq; tuis dandi lumina luminibus. (eſt,
Spes tenuauit iter, quæ nunquã haud irrita facta
Gaudia noſtra ſibi florida Flora fouet.
Gratuler ? an cordi circum lugubria ducam ?
Illud ritè tibi; triſtia meq; decent.
Aſpirante Deo voti ſis denique compos:
Hinc ego curarum ſollicitandus adhuc.
Te ſine tam pridem grati vis Carminis audax
Torpuit, ac numeros Calliopea tenet.
Arceor indignè ſacris Aganippidos vndis,
Atq; auida guttur flagritat vſq; ſiti.

Si procul eſſe iuuat, patrijſq; recedere ab oris,
Ducere ſi coram non licet ore ſonos.
At memor eſto mei: ſua dirige vota Camœnæ,
Tu potes Aonidum pandere promus aquas.
Seu te Romulidum ſeruent ſibi mœnia poſthac,
Seu te lauricomans Arnus habere velit.
Vndique epiſtolium mittas aliquando fideli,
Littera munifici muneris inſtar erit.
Hoc demum ſtatuo frugi me viuere notum:
Hæc mihi materies apta miniſtra boni. (gent.
Quidue moror? potiora quidē cum carmina ſur-
Vſus erit ſtudijs, ingenioq; fruar.

Bernardo Maynio.

Tetraſtichon Paræneticon.

PRocluſus - luſus durè - re ruſticor - i cor
Deuotis - votis, & pro me - prome dolores,
Ores: namq; tumēs - mēs heu furit - vrit auctēs
Ventem ſi geſtis - eſt is pater - ater habendus.

Ei-

Eidem.

Felices, quorum ſua ſtat ſortitio fauſtis
Sors quibus intacto fœdere vota regit.
Noſtra ſupercilijs obducta nube tuetur
Improba, quippè adeò terga repente dedit.
Me miſerum, neq; enim patiens obnoxia frango.
Qui modò nempè fui maximus, imus ero.

In feſtum D. Martini Ep.

Hic furit, ille cadit, laruatos vrget Erinnys,
Ac totum fœdant ebria turba diem.
Hominũ vecors animus, menſq; perempta
Mnemoſynon, quo non clarius Orbis habet.
Nam parcus vixit potu Martinus, & eſca:
Ipſius & feſtum gens temulenter obit.

De Eodem D. Martino.

Horrida Martinus feruens in prælia Martis
Marte ſalutato Martia tela dedit.
O grauior quanto cura hæc! nam factus inermis
Victor, inoccıduus Cœlica Regna tenet.

Ad R. qui datam toties fidem fregerat.

Verba ligant homines (tritum eſt) & facta
reſoluunt:
Vincla tenent, quanto tempore facta negas.
Turpius eſt glomerare moras, quã verba dediſſe,
Quod certè non frons Cimica ferre poteſt.
Ergo audi: & memori verſus ſub pectore verſa;
Nam ſic pro verbis mi citò facta dabis.

R. P.

R. P. Ægidio Genuenſi Capuc.

NOſtra tibi rurſus Clio, Pater optime, carmen
Perbreue decernit deſidioſa diu.
Eſt memor illa quidē quo ſis celebrandus honore,
Laus tua quodq; decus promereatur ouans.
Vtque valet, vellet numeros producere laudum.
(Quicquid enim verſat, verſus id omne cadit)
Cur? tua dum reſonant, abſcedo, ſæpius ora,
Ora tenet Clio, nec cecinisse poteſt.
Ab tuus Ægidi hic animus vaneſcat in auras:
Annue ſollicitis. longior eſto mora.

Coram N. Grammatiſta.

Diſtichon extemporale.

FVſtis egens credis, pueris tua iuſſa faceſſi?
Sit, crebro trepidus verbere turbo, puer.

SI mea grandiloquo reſonaret Muſa boatu,
Vt reſonat rumor laudis vbiq; tuæ.
Pronius inſtruerem immortali carmina rythmo,
Carmina, quæ nunquam tolleret vlla dies.
Absterret me ſumma operis: voluiſſe videto.
Ipſe animus laudem perdit, & ipſe parat.

Indictis vltro, citroque tam ex tempore commeatibus.

LVdicra falſiloquo præmuſſitat ore popellus:
Triones clangunt. Proxima dira lues.
Abnue, largifluo Bibulus terat vbere mãmam,
Soluitur actutùm quicquid vbiq; necis.
Hactenus immeritos peſſundedit Aſſecla numi.
Auge o nunc auri conſcius imperium.

Ad

Ad Coſmum.

DEtulit Andreas mihi punica mala recurrēs,
Creditur in me animi pignus, & arrha ſui.
Sic ego feſtinè refero quæ dona Cybelles
Optima; ſe hinc animo præſtat vterq; pari.

Ad Petrum dalla Rena.

FRugifer es Petre, & ſterilis cenſetur arena;
Ergo cognomen cur tibi arena dedit?

Ad Mulierculam, cuius infans colubrum labello tetigerat. Ex tempore.

DIriguere gelu, Mater, tua corda, quòd anguem
Paruulus extinctum lamberit ore puer.
Ab nihil eſt ſanè, timeas cur vltima nato.
Mortuus haud mordet. mortua nulla time.

Tribus Viris Nobilibus In Religioſa quadam domo pranſis.

NVm calor Aonius generoſo pectore ceſſit?
Num penitus Phœbi deproperauit amor?
Rumpite ſegnitiem numeri: procedite verſus.
Ardentes animos otia parça decent.
Iam procul hinc tenebræ: domus hæc non indiga honoris
Lætitiæ cumulos viuida facta rotat.
Nos tandem lux alma ſuo fulgore malorum
Surripuit curis: nec rediiſſe volet.
O amor, ô ſumma illuſtris dignatio cœtus,
Cui triplici laudum conuenit omnis honor.
Par erat ambroſia menſas onerare decenti,
Debueratue Coquus promere mille dapes.
Fors inopum non iſta ſinit: nouiſtis amare,
Diſcite, pauperies quanta parare poteſt.

De

De R. D. Paulo Violanio.

NOn violat leges vllas Violanius iſte.
Sunt viola cunctis quantulacunq; patrat.
Iniuſti lanio, atq; nefas vbicunq; peroſus
Cum doctis iuſtos iuſtior ipſe fouet.

De Sebaſtiano Fontanio I. V. D.

Ἀλληγορούμενα.

FOns hic Aſtrææ promit poſcentibus æqua
Legum ritè ſales, cui Dea ſupplet aquas.
Huc vertendus erit feſtino tramite greſſus,
Queis ſacri iuris pocula ſacra placent.

Vincentio Garrauinio diſcipulo. Reſponſio.

D*Iſperеam, ni tanta ſitis fucoſa putatur;*
Ni mihi te credam ludicra verba dare.
Agnoſcis verò damnum, vel iunior, ingens,
Et verum extrema iam teris inde manu?
Pergé age te Muſis iterum gratiſſime dones,
Nec ſit ſera animi tradita ſumma tui.
Gymnade proficies quantum non feceris olim,
Cum tua conſilio tempora nulla forent.

Caſſiano Chellio.

N*Oſtra caues præter morem conſortia, Chelli,*
Quæ ſint grata licet, ferre videntur onus.
Horreat à vobis credis, mea forte voluntas,
Quòd non Auditor limina noſtra teris?
Iure mihi deſis: non hæc diſcrimina quæro.
Munera quis fati reſpuat iſta ſui?

Sú-

Sume animos, ni forte aliud præcordia verſant,
Qui tam Doctor amans, Arbiter æquus ero.

De P. Dom. Zadeio Soc. Ieſu Præceptore ſuo. Dictus eſt occubuiſſe Quòd infectis contagioſo morbo miniſtraſſet.

CVius vita fuit veræ pietatis imago,
Flagrans Virtutum fax, ſpecimenq; boni.
Mors quoq; perpetuo ſortitur munere laudem:
Quippe bonus ſola pro pietate cadit.

Extemporale.

VItalis donans aliquid vi talis habetur,
Talem iure feras, ſi minus eſſet amans.

In

In N.

Conflauerat carmen alieno penitus marte.

VAtibus è multis libaſti perpere laudem,
Carmine qui nullo totus; at otus ades.
Si bene cœpit opus, miſcentur ſqualida porrò.
Sic criſtam capitis ſordida geſtat epops.

Caſſ. Chellio.

Condiderat in munuſculo. Mala malus mittit.

NOn malus eſto, diu qui mala remittis Amico.
Eſt malus, & peior, qui mihi mala negat.
Cum mihi proficias, per me profeceris ipſe.
Munera grata mihi, littera grata tibi.
Nec moror, ingrates merito quin paucula ſoluam;
Accipe quas raptim pendere Muſa valet.

In

In N. Poetis Infeſtiſſimum.

QVid Blatero cunctos immiti voce Poetas
Improbe traducis carmen in omne loquax?
Supremo afflati modulantur numine Vates,
Atq; Deum nutu ſæpe futura canunt.
Carmina grata Deis; & qui non carmine gaudet,
Crediderim ſegni conditione virum.
Tu ſed Apollinei detractu muneris expers
Deſine; iam Phœbo ſpicula, & arcus adeſt.

Caſtrocarij Philogrammaticis.

PErgite concordes pueri celebrate palæſtram,
Claugite, deſuetum ſuggerit iſta decus.
Hunc ſibi delegit ſoboles Latonia ſedem.
Ergo Carorum mœnia nomen habent.

In Elluſione Terræ Mutil. ſub die 1. Iunij 1634.

Nunc verò Mutilũ audaci mutilante fluento
Diceris, & merito nomine nomen habes.
Deflendum porrò. nam quid dementior amnis
Audeat ulterius, quam dare cuncta ſolo?
Omen habet caſus: non hæc ſine numine ſerpunt
Diluuia inſolitæ prodiga prorſus aquæ.
Tu mutila cordis flagranti falce tumores.
Abſtinuiſſe illis eſt caruiſſe malis.

Fluuij Proſopopœia.

Garrula ſeruati deſueto lingua furore
Tergeminas in me nomina ſumpta trucis.
Dat mihi, dat lacrymas Cœlum ſine more fluentes,
Quodq; minus capio, competit eſſe tibi.
Scis caput vſq; madẽs, ſubter mihi brachia mille,
Cur pandi quæſo non ſatis alueoli?

De

De Chriſti morte.

IRata eſt quodam Mors Vitæ, & cæca furore
Eia age, clamabat, bellica Præco cites.
Ictibus interea currunt. ab tempore eodem,
Mortua quo Mors eſt, mortua Vita fuit.
Illa ſed emoriens triſti de corde ciebat
Queſtum, atq; hæc Vita ſæpius ore dedit.
Me miſeram, poſthac nō Mors; ſed mortua dicar.
Nam mea conuertis ſpicula, meq; necas.

Diuo Nicolao Epiſc. ex ipſius Vita.

Δεκάστιχον.

QVæ tua diuini potius, Nicolae, caloris
Semina laudarim? quod mihi iure caput?
Virtuti certat Virtus, celebriſq; decorum
Impatiens vinci quælibet auctat opus.
Annectit merito meritum par gloria. ſurgunt
Vel reticenda chely, vel recolenda ſatis.

Dam-

Damnatur pauitans, & qui nimis anxius audet,
Quin ego deſidia nomina malo procul.
Adſis ò, bibulaſq; tuis hùc laudibus aures
Iunge: cauens de te paucula, multa canam.
N *aſcere præſidium fidei, largitaq; votis*
I *nclyta progenies.*
C *iuibus auxilium propera. te ad luminis auras*
O *mnia ritè manent.*
L *aus tua nota ſatis, νίκη cum dicere λαῷ*
A *bdita nomen habet.* Νικόλαος Victor popul.
I *ngeminat genitorq; preces, genitrixq; reſumit*
N *eſcia prolis adhuc.*
A *h amor, ah pietas nulli Deus abnuit ægro*
T *ractibus empyrijs.*
I *te procul rixæ: pſeudo procul ite fideles;*
V *ndique fucus eat.*
I *am Nicolaus adeſt, moderabitur ipſe Deorum*
T *otus amantis amor.*
A *lta furijs, ſæuitq; Notus: Venus effera feruet,*
S *ollicitato moras.*

Quod

Quod ſe ſe erexit in balneo iam natus.

Epigramma.

QVæ vis? quod robur ſūpto nec robore vitæ?
Quaue ortus ſpecies? quid ſibi tāta volūt?
Erectum miratur ouans, quæ fœmina tergit:
Matris amaritiem viſio fauſta leuat.
Promittunt oſtenſa nouum genus iſta puello
Sectandi vitæ luminis arte noua.
Qui premit aſſurgens vndas, vndantis iniquè
Preſſurum Mundi gaudia fluxa pede.
Immò etiam pelagi fore ſe in furioſa minacis
Agmina tutamen. Confice Nauta rates.
Dumq; caput tenerum conuexa ad ſydera tollit,
Tu, tu quærtutem cœlica regna putes.

Eidem Ieiunij cauſa, lac ab incunabulis reſpuenti. Epigramma.

ALto nempe daris ſceleroſi crimina popli
Dempturus: mentes indita ſigna monēt.
Ardua culparum moles ieiunia ſoluunt,
Quæ ſequeris culpæ non modo iure capax.
Hinc iter ad ſuperum ſternis iam primitus arcem,
Nec viſa exiguo ſemita dura tibi.
Felices animi: felicia vota, magiſq;
Cæleſtum Regi membra dicata tuo.
Tempora dignoſcis, qui vix tua tempora noſti.
Da mihi, da laudis tempora noſſe cito.

Patrimonium in pauperes erogat.

Aſclepiadei cum Glyconico.

PRogreſſus celeres pondera ſuppriment,
Nec ſurſum properat, quem grauioribus
Curis

Curis implicitum putrida ſeculi
Fex totum malè ſordidet.
Non ſic irradians diuite gratia
Dilectus Pataræ fortis Alumnulus
Aeui primigeno flore perarduum
Ad Cœlos iter incipit.
Functis, quæ vegeto luce parentibus,
Infracta cupiens viuere compede
Concedit miſeris ipſe peculium:
Sint vobis (ait) omnia.
Mortales rubido pectoris impetu,
Qui cæci nimium fluxa repoſcitis
Ah tandem monitu diſcite nobili,
Quæ verè bona ſubleuant.

Noctu egeno Patri pro natabus ternam dotem ſuggerit.

N*On tibi quò fallas captantur tẽpora noctis,*
Tempora, quæ roſeo cæca pudore vacant.

Nox ætatis opus tenebris miratur opaca:
Miratur triplici pondere læta domus.
Eſt e procul fœdis malè percita turba Procorum,
Quam Nicolaus amat perdere nemo poteſt.

In idem. Diſtichon-Paromœon.

N*E nota natarum notā notet iſta nitorem,*
Sat ditat Diuus diuite dote data.

Ad munus Epiſc. diuino monitu aſſumitur.

παρονομασία.

M*irande es vita, myrrha qui mirus amara.*
Iam miro Myræ munia ſume modo.

Ei-

Eidem ἐρώτησις.

Cum eſſet mox animam efflaturus.

NOs debemus (ais) morti, qui viuimus orti.
Sed noua nonne bonis vita paratur? ita.
Ergo vita tibi egreſſu non linquitur. itur
Viuere. viſne adſit corporis? orti bonus.

De B. Gentili de Iuſtis Rauen.

GEntilis genti lis vt cognomine Iuſta
Iuſta quidem ſacris ignibus vita fuit.
Ius tacuit nunquam: quam grandia dia recluſit?
Luſit in infeſtis. eſt is amandus amor.

R. P. D. Ioſepho Portæ è Congr. B. Ieſu de Rauenna Concionatori facundiſſimo.

Epigramma.

ORphea præcipites animos Virtute potentem
Continuiſſe, ferunt, legibus ore datis.
Tempora Maiores iactent felicia quondam,
Palladis & nutu plenius acta velint.
Scilicet ætati noſtræ non gloria deſit,
Læta ſuo emeritos, quæ det honore frui.
Vt ſi permiſtum dulci velit vtile quiſquam,
Te PORTA, inſignem, grandiloquũq; petat.
Diuitis eloquij nam quæ te vena refercit?
Quæ tua Maieſtas cũ grauitate pari?
Nũc mihi Mæonidis rythmo quin carmina, Phœbe,
Suggeris? At paruo noſcitur vngue leo.

De

Emblema.

Poſt libata diu vernantis grana roſeti
Ad fontem quærens pocula venit apes.
Hinc bibit è ripa; ſed cum torqueret onuſtam
Dira ſitis, miſere decidit inter aquas.
Circinat illa quater grauiori murmure vetors,
Quam totam inuaſit funeris hora ſui.
Incolumis vt tranaret de more volantum,
Se niſi propellat feruidus æſtus aquæ.
Vidi ego luctantem pulcrè, mortiſq; timentem
(Nititur in funus nam fera quæq; ſuum)
Admoui miſeratus opem, qua protinus exeat
Indice ſuppoſito, quando bacillus abeſt.
Illa ſed actutum digito ſua ſpicula fixit,
Quem dolor immitis lancinat vſque modo.
Sic mihi pro meritis? ſio diſcrimine doctus.
IRA promittit percitus omne malum.

Cuiuſdam Lignicidæ calliditas.

FRigora captabam ſcitè, domuiq; propinquus,
Vt tacito ſueui murmure metra canens.
Annuit ex opera lignorum ſciſſor avbelus,
Verbaq; flammato ſubdidit ore mihi.
Quod mea munus (ait) de te ſolertia ferret,
Si mirum videas ; auxiliante Deo?
Sed nihil expendam (refero) tamen ille videbis,
Et ſi nulla manet me tua ſtrena, Pater.
Dixit & extendens quercus in fruſta ſecurim.
Iam facit, vt certo vulnere ſtipes hiet.
Mox aperit luctante manu: cita lumina vertis?
Vertis? ait, nemo hûc intulit ante ſua.
Olli ſubridens fauea, tum iura, fideſq;
Hæcce tibi? vafra decipis arte quidem.
Et mecũ; ò quantum mens intrectata volutat!
Scilicet in rudibus ſunt ſua dicta viris.

De

De P. F. Vincentio Capuc. de Marradio.

Τετραστιχον.

COnſpicuus, facilis, feruẽs, prædulcis, opimus
Virtute, ingenio, famine, voce, modo,
Inſtruit, oblectat, componit, verſat, amatur,
Ardentes, cunctos, ardua, magna, vbi ſit.

De paruula æde ſacra.

HIc vbi tutamen nuper Cuſtodibus aptum;
Hîc vbi iam tenuit Martia tela manus.
Nunc circum munita recens emblemate ſacro
Tecta: ſibi hinc habeat Relligioſus opem.

Innocentio Mengotio.

MVnera munificis ſubeũt ampliſſima donis,
Vix hoc omnino deficit, illud adeſt.
Scilicet agnoſco priſcorum tempora, gratis
Cum larga addicti pectoris arrha feret.

Non Erato (ſi quando volunt hæc otia curæ)
De veſtris tulerit laudibus vſq; moras.

De N. ſibi proteruiente.

D*Ic verò, haud renuas in me Dilecte quid optes?*
Quiſue tua exardens pectora pulſet amor?
An tibi liuor edax lacerat præcordia, quod me
Carmina ſæpe vides promere grata ſatis?
Quid? mihi ſi arridet vultu Polyhymnia læto,
Hæccine tam ſæui pectoris anſa tui?
Et potes ipſe cani: rupi te crede Sororum,
Audenti præſto Phœbus adeſſe ſolet.
Experiare viam: non fortè inglorius ibis:
Tunc eris in Vatum garrula lingua decus.

Ad Muſam pro Amico.

M*Vſa mihi faueas, carmen concede roganti,*
Quale datũ multis, qui iuga ſacra colũt:
Iſti

Iſti ſi plectris retegunt tua dona canoris,
Ipſe etiam reſona te celebrabo chely.
Ergo mihi faueas: celſa de rupe vocatum
Protege: iam cœpi ſcandere lætus iter.

In Præturam Domini Petri dalla Rena.

Mantua cum luxit Germane milite capta,
Peſte, fame, & bello, territus orbis erat.
Tum geſſit ſumma Præturam laude Mutilli
Petrus, cognomen cui vaga arena dedit.

Tumulus D. Hieronymi Violanij I. V. D. Ac Terræ Mutilianæ Prioris benemeritis cumulatiſſimi.

Conditur Inſignis tumulo hoc Hieronymus ille,
Qui geſſit plebis pondera tanta diu.

Aſtraæ veluti frater pollebat vtroq;
Iure, bonis melior: toruus & vſq; malis.
De violis merito duxit cognomen; odora
Nam bene cuncta eius geſta fuere ſatis.

IESV Crucifixo.

SAlue totius Mundi dulciſſime IESV
Auctor, lux, ignis, ſpes, via, vita, ſalus.
Terra prius non vlla fuit, cælumq;, hominesq;
Principium norunt te bona cuncta ſuum.
Lux aberat rebus; nec ab alto fixa micabant.
Sidereis quondam lumina luminibus.
Ignis tu abſumens, hominum contagia qui ſic
Immiſſo deles flamine fœda ſacro.
Omne ſpei donum de te procedit amanti,
Irrita cum nequeas perdere vota, pius.
Si quis ad Empyrios tendat conſcēdere tractus,
Te ſine deceptus corruet ille citò.
Mortales inter nato ſcelus omne piatum,
Nex tibi ſcita eſt, qua viuere poſſet homo.

Mu-

Munere vitali fruimur, fruimurq; ſalute,
Cuius ab arenti ſtipite pendet opus.

Iudæ Proditori.

QVò te dira ſitis nummorum perfide Iuda,
Quò furialis amor, menſq; lupina trahit?
Non eſt cur tacias argenti pondus in aulam:
Non hîc deficiunt criminis acta tui.
I citus, i laqueis, præbe tua colla paratis.
Hùc ſolet infandum deſtituiſſe ſcelus.

De B. Gentili de Iuſtis Rauennat.

ORcus in exitium tendit Gentilis, & omnes
Aduocat hùc vires viribus vſq; ſuis.
Sonticus inſontem nunc torquet fuſte Maritus,
Nunc furit in facilem liuida turba Nurum.
Accipe, quì palmam ferat exors illa pericli,
Vtq; det infenſas hoſtis vterq; manus.

Tar-

Tartara profligat ſacrato in carmine pernox ;
Dumq; ſilet patiens, Coniugis ira fluit. (tis?
Quis neget hæc vera, & vera monumēta ſalu-
Te vince, & victus quilibet hoſtis abit.

In Stellam Magorum.

AEternū occiduo monſtratur lumine lumen,
Qui fruere occiduo ritè, perenne tuū eſt ?

Innocentio Mengotio reſp.

OMne genus plenis verſo tua dona caniſtris,
Semper & immiſtū nobile carmen adeſt.
Prodiga ſit manus ; at Clio mage prodiga, dantē
Quæ verſa grates mittere lege facit.
Aſt ego quid faciam ? turpe eſt reſponſa negare ;
Si grater vobis. Hic agit acta, feres.
Talia præſtiteris, quò verſus intercludas.
Arte meos ? artem fallere Muſa poteſt.

Ami-

Amico, qui ſuam ipſius ſortè execrabatur.
Diſtichon extemporale.

TAntū vri? ab votis non ſunt venalia, fata.
Cuncta, vide, cunctis Iuppiter ipſe negat.

De Chriſti Natali die, ad Amicum.

EN cæleſtis Amor Cælo delapſus amore,
Suaſit amor mundū, viſere ſuaſit amor.
Noſter amor potis eſt eius dependere amorem,
Exue ſegnitiem, ſat ſibi ſolus amor.

In feſto Sanctorum Innocentium.
Herodem alloquitur tantæ
cædis auctorem.

PErde furens animis pueros, quot fœmina lactet,
Millia det centum cruda machæra neci.

Non-

Nondum tempus adeſt inuiſum perdere Regem:
Non hæc ſanciti funeris hora ſibi.
Sit furor, atq; metus, curis leuioribus inſtas,
Pendere habet ligni damna priora Puer.

Eidem Herodi.
Cum inueneritis Puerum, renunciate mihi.

S*I benè vaticinor, tu ſic iniungis honeſta.*
Noſſe Deum, qui vult, cætera nulla putat.

De Stella Magorum præuia.
L*Vciſer huic cedat ſurgens de mane ſereno,*
Nunciat ille diem, nunciat iſta Deum.

In Sepulc. BB. Marg. & Gent. de Rauenn.
Quod ibidem poſitum eſt in Aede
Boni IESV.

H*Ic ſacra Margaridos, Gẽtiliſq; oſſa tegũtur,*
Hinc tibi, quiſquis aues, expete pronus opẽ.

Quot

Quot ſupplex (nec vana fides) pia vota refundit
Hinc bona tot, verè credulus omnis, habet.

Ebrietatis diſpendia, ex occaſione Bacchanalium.

NOn liber, quem Liber habet, quo languida lingua.
Venatur vino quem volet vna Venus.
Mens veluti non ens: ratio, atq; oratio nulla.
Bacchatur, Baccho ſi benè turget, homo.
Occidit, occidit: vilent ceu vilia vires.
Ergo neques viuus viuere ſponte ſua.

In feſtum Sanctæ Mariæ ad Niues. Dicolon Diſtrophon.

ECce niues fundit, ſacri primordia cultus
Candidior cunctis Virgo, parenſq; Dei.
Mirantur lucíq; gelu, ſiluæq; comantes,
Nec morſu æſtiui temporis illud agi.

Sub-

Subdite preſſa caput quæ illic virgulta pruinis;
Nam ſubter vobis arida flagrat humus.
Non ceu conſpirant Aetneæ culmina molis,
Sæuaq; Veſcui viſcera toſta nocent.
Ardet honore pio. populiq; moratur amantis
Concio, quæ flexo poplite dona ferat.
Diſcimus exemplo, Superos protecta iuuare,
Paruulus vt foueat ſemina quiſq; ſpei.

In idem. Diſtichon.

AMbitus en templi niueo ſignatur amictu.
A niue Religio ſurgit ad vſque polos.

In funus Margaritæ de Merciarijs Nob. Roccheñſis S. Caſſiani. δεκαστιχον. Nomine Rocchæ.

ILla iacet triſti, triſti heu iacet illa feretro
Margaris, inſigni quæ fuerat ſpecie.
Heu, heu per ſanè duro tu funere dempta:
Heu, heu impatiens Atropos ipſa nimis.

Et

Et potuit felix adeò dirumpere ſtamen
Inuida? vel tantum ſic tenebrare decus?
Non queror ætheres ceſſiſſe ab luminis aura.
Intempeſtiua morte fuiſſe queror.
Vrgete ò oculi lachrymas ſine fine calentes.
Eſt ploraſſe diu non gemuiſſe ſatis.

Ad Rocchenſes. παραμυθικόν.

PArcite ſingultus: mæſtos cōpeſce vlulatus
Roccha, die fauſti Numinis adde chelym.
Vt ſolet abſumptos proprio de caudice flores
Ritè magis digno iungere docta manus,
Iungit, & inſolitis halant fragrantia moſchis
Quæ folia hinc retrò diſplicuiſſe, patet: (mus,
Trāſtulit Hāc Olitor ſuprema in quadra ſupre-
Ceu fuit in terris, vt micet vſq; polo.
Semper odore nouo ſpirabit gratius inde
Multus odor: veniet naribus inde tuis.

An

Omnibus vt laude hac veri ſpectetur amoris,
Vtq; ſibi certet reddere quiſque vicem.
Teſtis ego, quali perfunctus munere, noſtre
Neminis extellat lumina parua diu.
Nec mirũ, quod Muſa viro non plurima ſiſtit:
Reſpuit ille moras; hunc probat ille animum.

In quoſdam N.

POllicitis licitis nec dum non ſegnius itis.
Irrita Iuſtitia eſt? dicite iuſtitium.

In die Feſto S. Ant. Abbatis.

ANtoniũ quauis Cacedæmon fraude ſubito,
Oreq; terrenti dira aconita vome.
Horrendas colubrum pro votis indue formas.
Addeq; vulneribus vulnera flagra flagris.
Nõ metuet: neq; enim feſſus tibi cedet arenam;
Securus lethi te ſuperabit ouans.
Fortior Athleta eſt, quàm tu fortiſſimus. illum
Suſtinet alma fides; te mala cuncta grauãt.

De

De R. P. Zaccharia Papponio, è Congr. B. IESV.

MVnus amicitiæ videat, qui poſcit amicos,
Fœdera ne poſſit commaculare nefas.
Cætera ſi doleat, nunquam ſatietur amanti,
Aeternumq; vigens vnio facta ſiet.
Alter ad alterius totum communicet aures.
Officium præſto ſemper, & os tacitum.
Hæc Pater infixit quondam Papponius imo
Pectore: nec vanum noſtra papyrus habet.
Ille poteſt ſemper facilis, vultuq; ſereno
Non ſtudijs omnes non cumulare ſuis.
Comis, & vſq; bonus puro ſermone recludit
Senſa animi. Fuco tempus in omne vacat.
Quò magis ille poteſt, meritos veneratur opimis
Laudibus. ac demum fidus amator amat.
O vtinam ſibi longa diu ſint munera vitæ,
Talis vt exemplo quilibet eſſe queat.

Au-

Auctor de ſe ipſo.

QVòd loca Pieridum ſurgo non auia luſtrãs,
Quod multis preſſus me quoq; trames ha-
Fortè aliquis tradat vitio, recidiua peroſus(bet.
Metra, ſuum præter quàm iuuet ingenium.
Abſtineat, quæſo; namq; hæc pro tẽpore pauca
Miſcuit optanti mens agitata parum.
Satq; ſuperq; mihi Maiorum optata ſequuto
Caſtalios primùm ſic tetigiſſe lacus.

In diſceſſu cuiuſdam beneuolentiſsimi.

διαλογισμός. Muſa. Alumnus.

A. EXorata Clio latices de fontibus Aſcræ,
Cur mihi reddis io? *io.*
Heu diffuſa comas, nitidũ temerata decorem
Mi facis inſolita. *M. Ita.*
M. Nonne vides caris, feſtinus vt exeat oris,
Qui mihi promus erat? *A. At.*
M. Carmina dulciloquo ſi quando fudimus ore
Arbiter ille fuit. *A. it?*

A. Nunc

A. Nūc verò ingentem (neq; erunt ſolatia cātus)
Induo mæſtitiam. *tam.*

Aeuiternæ Famæ Annibalis Micheleſij
huius Operis Authoris
Iambicum.

LAudare Vatem Vatis eſt. Nemo ſciet
Præſtare melius, Annibal quam Tu, ſacras
Qui fontis vndas Pegaſeij, fruens
Propiore Phœbi numine, Aonidum & choris
Largo vſq; ſunctus ore ſiccaſti comes.
Hoc renuis? ergo Vatis officio noua
Totum per orbem fama, quæ volat, tuis
Elata ad auras verſibus, fungi velit;
Nec vlla Vates melior. En Cycni tuba
Imitata cantus grandibus Vatem aſſerit
[illegible]e vera Vates Vatibus, Lauro comas
[illegible]ngens in alto Pieri montis iugo.

Lud. Boncompagnus V. A.

[illegible]Octau. Finat. Pœnit. pro Eminētiſſ. & Reu. Card. Arch.
[illegible]m. Pr. Hieron. Onnph. pro Reuerendiſſ. P. Inquiſ. Bonon.

8 351541